


*Altitudo Realij*

SALUTEM A DOMINO.

 Incomprehensibilia Domini Judicia, suas mirabiles investigabilesque vias quis unquam penetravit aut novit? Aut quis fatis mirari queat illud, quod nuper nobis non solum, sed universi Orbi Catholico prosperè contigit? Siquidem Serenissimus, ac Potentissimus Borussorum Rex foundationem, erectionemque Ecclesiæ Romano Catholicæ in sua Berolinensi Civitate cum Libero Orthodoxæ Religionis exercitio spontè ac clementissimè indulgit. Huic tam magno beneficiorum cumulo accessit ulterius Liberalitas Regis, qua & Locum spatiosum non longè à Regali domo gratis nobis concessit, & magnam partem expensarum munificè ac pientissimè contribuit. Cum itaque Dominus Deus per manifesta potentiaæ suæ signa in benedictionibus dulcedinis nos ceperit prevenire; & Pars selecti honorifici Templi iam ædificata sit, ne statim nobis importunè dicatur *hi homines ceperunt edificare, sed consummare non potuerunt* enixè atque humillimè rogamus quatenus dextrum brachium in tam præclara comuni causa abbreviatum non sit, imò verò largissimè favens pro felici fine tanti negotii, pro quo & quamplures liberales zelatores nobis succurrere, atque elargiri ceperunt, precipue vero sacerdos summus ac Pastor universalis Ecclesiæ BENEDICTUS XIV. Pontifex Maximus prævio munifico exemplo & ad Maiores natu Ecclesiæ generali, ac validissima exhortatione opportunè ac providè nobis adstitit, & favit, & in quo magnum monumentum Gloriæ Dei, atque incrementum Religionis nostræ procul dubio positum est.

Agitur hic de Ecclesia Catholica in Aula tanti Principis cum pleno ac libero exercitio fundanda atque erigenda. Agitur de publico, & generali hospitio tam pro Orphanis utriusque sexus, qui prius cum ingenti Animarum discrimine ad non Catholicas trahebantur partes, Genitoribus vita functis & in aliena à parentum fide educabantur, quam pro Infirmis atque Egenis Catholicis construendo. Agitur de numero fidelium in immensum multiplicando, proindeque de certa Spe & Lucro Animarum innumerabilium.

Quæ omnia Deus optimus Maximus det nobis, ut omnes rectè ac plenissimè intelligant, eaque intellecta pio sollicito atque efficaci opere liberaliter atque humanissimè adimpleant.

)

Id